

spicuus, item Sæculi istius Thaumaturgus, prout ampliùs testatur ejus Vita primùm à Joanne Bedel supràdictæ Congregationis Alumno Gallicè conscripta, postmodùm verò à Dominico Bisselio Can. Reg. ad S. Crucem Augustæ Vindelicorum latinè reddita, atque ibi demùm anno 1668. typis vulgata. Procuratur ammodò apud Sedem Romanam ejus Beatificatio, & cum omnes de ejus Sanctitate, heroicis virtutibus & miraculis processus facti omninò sint admissi, speratur fore, ut in hoc negotio omnia ad votum debitis Ceremoniis expleantur. Impletum fuisse pium hoc Authoris votum corrente Sæculo, toti Canonico nostro Ordini est notissimum.

III. Guido Lemulier Abbas S. Petri Montis Vir omnigenæ perfectionis, virtutis, ac scientiarum laude fulgidissimus, quo quia fortè mundus ampliùs non erat dignus, desuper evocatus diem suum. obiit anno 1642.

IV. Joannes Tuinet eximiæ prudentiæ & doctrinæ luminibus constanter emicans, sæpè memorati Congregationi suæ præfuit annis 25.

V. Joannes Stephanus antè S. Ægydii Præpositus sub disciplina Sancti Reformatoris nostri aliquot annis sanctè educatus, quem & ille vel olim itidem fore Generalem prædixit, quique idem Joannes communi famâ Sanctitatis inclytus, vitam terrestrem finiit anno 1682. die 23. Februarii.

VI. Philippus Georgius à Venerandis proximis duobus Prædecessoribus suis ad id Officii specialiter commendatus, utpotè hujuscemodi munere seu Prælaturâ omninò dignissimus, eò quòd maximè etiam aliis dignitatibus & officiis jam antè fuerit perfunctus. Sed ecce! dum hæc properanter apparo præter spem litteras accipio à Clarissimo Viro Plurimùm Reverendo Domino Francisco Merckier Regalis Monasterii Argentinensîs ad S. Ludovicum Lotharingiæ Congregationis hujus Regulari Canonico Achate fidelissimo, amicissimo sub dato 1692. die 26. Martii perscriptas, in quibus ipse de eodem Philippo dignissimo Antistite mentionem injicit, ac simul etiam sequentia apponit: *Reverentiæ vestræ simul ac cæteris Dominis Con-Canonicis vestris ac Religiosissimis Confratribus in Domino Colendissimis Observandissimis &c. &c. tenore præsentium notum facio, quòd mense Decembri anni superioris die ultimo vitâ terrestri defunctus fuerit Reverendissimus Venerabilis memoriæ Generalis noster Philippus Georgius &c.*



## Littera N.

### NASSOVIENSE,

*Seu in Nassovia oppido (quod est omninò diversum ab illo paris nominis in Franco-  
nia & tractu Wetteraviæ situato) Diocesis Leodiensis Monasterium S. Mononis  
Martyris natione Scoti & Discipuli S. Joannis Agni Episcopi Ultrajectensis, cui ob fi-  
dem Catholicam mactato, Pipinus Rex Decimas obtulit, quas habet inter Letiam & Ur-  
cam, Sanctus verò Joannes Agnus Clericorum Regularium Conventum ibi instituit. Est  
locus in sylva Arduenna &c. Molano in Natalibus ad diem 18. Octobris. Hæc Pennot-  
tus in Histor. tripart. Lib. 2. cap. 38. num. 10. quæ eadem profert etiam Constanti-  
nus Ghinius in Natalibus SS. Canonicorum Regularium eodem die. Verùm Nassov-  
viense hoc Monasterium Canonicorum Regularium jam à pluribus annis in Collegi-  
um Clericorum Sæcularium fuisse transmutatum, ad me Leodiò scriptum est.*

### NAUMBURGUM.

**I**ta proprio nomine suo dicta Saxonie Superioris Civitas in Misnia inter Lipsiam ad Ortum, & Erfordiam ad Occasum in ipso limine Thuringiæ situata, atque eadem hæc cum adjacente Regiunculâ vel olim sub Dominio proprii Episcopi sui constituta, hodie verò post promulgatam Transactionem Westphalicam Electori Saxonico subdita, hæc, inquam, Naumburgensis Civitas antiquitus Cathedralis Ecclesiam habuit, quæ est Suffraganeatus Metropolitanæ Sedis Magdeburgicæ, & una ex illis Comprovincialibus per universam Saxoniam diffusis, in quibus olim Fratres seu Canonicos sub Regulâ S. P. N. Augustini militantes refert Albertus Krantzius jam suprâ in Descriptione Cathedralis Monasteriensis in id adductus.

NAUM-



## NAUMBURGENSE

**A**liud quoddam tale seu paris quidem nominis, alterius tamen Regionis, nimirum apud Silesios in districtu Diœcesis Vratislaviensis celebre quondam Collegium, seu Præpositura Canonorum Regularium Ordinis S. Augustini in oppido Naumburgensi fundatum. Hoc initia sua sumpsit anno gratiæ 1217. in monte secus fluvium Bobaram locato, eoque tribus milliariibus Sagano, præcipuâ Silesiæ Civitate diffito; ubi nimirum ad preces & interventionem S. Hedwigis Ducissæ Conthoralis suæ, Henricus cognomento Barbatius, Dux Silesiæ & Poloniæ, penes Parochialem Ecclesiam S. Bartholomæi novum quoddam Religiosorum Virorum Contubernium instituit, atque in eo Canonicos Regulares Ordinis S. Augustini è Cœnobio Aroasiensi apud Belgas desumptos collocari fecit Litteris publicis in id confectis, quæ sic sonant: *In nomine Domini Amen. Nos Henricus Dei gratiâ Dux Silesiæ & Cracoviæ, notum facimus tam præsentibus quàm futuris, quòd Beato Bartholomæo Apostolo in novo Castro & Fratribus Ordinis S. Augustini ibidem Deo servientibus, ad honorem Dei & prædicti Patroni villam, quæ dicitur Propouiz contulimus, & quidquid ad dexteram Montis tenuimus à Brisnicâ usque ad fluvium, qui dicitur Bober. Dedimus præterea eidem centum viginti mansos de terra inculta jure Teutonico locandos cum omnibus emolumentis, quæ in præfatis fluviis Bresnicâ videlicet, & Bober tam in piscaturâ, quàm in molendinis & mellificiis imposterum possunt provenire. Ut autem hæc nostra donatio perpetuâ inviolabilis perseveret, præsentem Chartam sigilli nostri impressione duximus roborandam. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo decimo septimo.*

Porrò ipse Henricus Dux recensitam foundationem suam ampliùs adaugeri fatagens, de quodam nemore suo alium & quidem omninò spatiosum fundum, centum viginti scilicet mansos incultos obtulit: si tamen loci Ordinarius seu Episcopus Vratislaviensis cum suo Cathedrali Capitulo Decimas futuris temporibus exindè persolvendas concedere velit Religiosis Canonicis seu Fratribus in novo Naumburgensi Clauastro locatis, seu locandis. Quarè paucis aliquot de memorato Capitulo Vratislaviensi hæc in parte contradicentibus, Honorius Papa III. meditatam, ac gratiosè condicendam Decimarum perceptionem ad pias causas liberaliter indultam, autoritate Apostolicâ suavitè ac persuasit concedendum, propriâ quâdam Bullâ (monitore ipso Henrico Duce) clementissimè impertita & expedita sub hujusmodi tenore: *Honorius Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Episcopo & dilectis filiis Capitulo Vratislaviensi Salutem & Apostolicam benedictionem &c. Dilectus Filius Nobilis Vir Henricus Dux Silesiæ nobis insinuari procuravit, quòd considerans paupertatem Domûs de novo Castro Ordinis S. Augustini vestræ Diœcesis centum viginti mansos cujusdam nemoris sui eis dare proposuit, dummodo vos eis eorundem mansorum decimas concedatis, licèt major pars vestra in hujusmodi concessione concordet, quidam tamen è vobis nondum acquiescere voluerunt. Ne igitur pium Nobilis Viri prædicti propositum ob hos retardari contingat, & ipso nemore inculto nec vobis nec fratribus dictæ Domûs aliquid utilitatis decedat, universitatem vestram rogandam duximus & hortandam, per Apostolica scripta mandantes, quatenus prædictæ domûs decimas dictorum mansorum concorditer concedatis mandatum nostrum taliter impleturi, quòd iidem Fratres propter hoc ad nos recurrere non cogantur. Romæ apud S. Petrum Sexto Calendas Maji Pontificatus nostri anno tertio.*

Acceptis igitur hujuscemodi Litteris Apostolicis loci Ordinarius cum Cathedralibus Canonicis suis sanioribus consiliis inductus, memoratas decimas nominatis Fratribus in antedicto Clauastro Naumburgensi sub Canonica Divi Augustini Regula Deo militantibus, lubens cessit, ac concessit de futuro omnimodè perfruendas ac possidendas; quare Henricus Fundator & Dotator sæpeditam donationem suam alio novo quodam Diplomate Apostolico roborari seu confirmari procuravit taliter adornato: *Honorius Episcopus Servus Servorum Dei Dilectis filiis Præposito & Capitulo novi Castri Ordinis S. Augustini Salutem & Apostolicam Benedictionem. Solet annuere Sedes Apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Cùm itaque, sicut vobis referentibus intelleximus, Ecclesiæ vestræ, quæ de novo constructa est, de quodam nemore à Nobili Viro Duce Silesiæ piâ liberalitate donato Venerabilis Frater noster Vratislaviensis Episcopus loci Diœcesanus, & majoris & sanioris partis Capituli accedente consensu Decimas centum & viginti mansorum ejusdem nemoris, si contingat illud, de quo nullæ provenerunt Decimæ, redigi ad culturam, vobis duxerit intuitu pietatis ad peregrinorum receptionem & sustentationem pauperum remittere. Nos inclinantes vestris supplicationibus aures nostras, quod super hoc ab eodem Episcopo piè*



ac providè factum est, & sicut in ipsius Episcopi Instrumento continetur, auctoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergò omnino hominum liceat banc paginam nostræ Confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum in Laterano decimo quarto Calendas Februarii Pontificatus nostri anno quinto.

Anno 1227. post decennium à prima fundatione Naumburgensi completum facta est Canonicorum Regularium migratio seu translatio ad aliam novam quandam Ecclesiam operâ S. Hedwigisam pro tempore viduatæ, ad pedem Montis antedicti recens ædificatam, quam loci Ordinarius in honorem Beatæ Mariæ Virginis ritu solemni consecravit, sed & novam hujusmodi translationem taliter factam authenticè comprobavit sequentibus Litteris ad perpetuam rei memoriam datis: *Quoniam facta mortalium sequuntur, motum utiliter provisum est ea litteris commendare. Hinc est, quòd Nos Laurentius Episcopus Vratislaviensis factum nostrum præsentis paginæ commendamus. Notum ergò sit universis Sanctæ Matris Ecclesiæ filiis præsentibus & futuris, quòd Nos Ecclesiam novam in novo Castro in honorem S. Mariæ Dei Matris consecravimus sub hac forma, ut in ea Religiosæ Personæ secundum Regulam S. Augustini in Ordine seu Congregatione Aroasiensi deserviant. Nulli ergò liceat in loco illo, aut alium Ordinem ponere, aut secularibus personis locum tradere. Si quis autem banc nostram constitutionem temerè perturbare voluerit, ipsum anathemate percellimus, donec à tali proposito resipiscat. Huic scripto sigilli nostri appendimus firmamentum factum anno millesimo ducentesimo vicesimo septimo.*

Anno 1263. Naumburgensis Præpositura ista tum novis redditibus aucta, ac meliorata, tum Religiosorum Virorum numero & meritis, procurante loci Ordinario Reverendissimo Domino Domino Thomâ Episcopo Vratislaviensi commutata fuit in Abbatiam, juxtâ quoque cum queisvis bonis ac possessionibus suis iteratò confirmata peculiaribus quibusdam Litteris in rei memoriam datis sub hujusmodi tenore: „ In nomine Domini Amen. Thomas miseratione Divina Vratislaviensis Episcopus universis Christi fidelibus præsentibus ac futuris salutem in Domino Salvatore. Largitori bonorum omnium reddentes pro universis beneficiis suis gratiarum, quas possumus, actiones, qui Nos Vratislaviensi Ecclesiæ non nostris meritis sed suæ gratiæ dignatione præfecit, & eandem Dioccesin per incrementum Ecclesiarum de novo confurgentium, & etiam Religiosorum Conventuum rebus auxit, vel honore dignum duximus nostris temporibus ipsius m. honorem per exercitia charitatis Religiosis locis impensè & decenter augere; quatenus Viris Religiosis, ut & in Spiritualibus ministrent expeditius per subsidia rerum temporalium paternè & misericorditer consulatur: Cùm igitur inter cæteras Domos Religiosas m. Domus Monasterii novi Castri temporibus nostri Antecessoris, & nostris etiam plantata sit, & aliquibus rigata beneficiis, & Deus dederit incrementum ita ut & numero & meritis in Abbatia Dignitatem confurrexerit; Nos ipsi pro futuris temporibus contra injuriantium malitiam cupientes consulere super bonis quibusdam & Decimis datis eidem Domui sive à Principibus, sive ab Antecessore nostro, vel à Nobis, quæ legitime sunt adepti, & in quorum sunt possessione pacifica propriis quidem duximus exprimenda vocabulis. „ Sunt autem hæc: *Ipse fundus, in quo Monasterium idem est fundatum, cum domo & terra adjacenti, videlicet agris & vineis, pascuis, arboribus, & aquis, molendinis, & jure Parochiali, quod usque nunc Ecclesia ipsa tenuit; villa, quæ dicitur Porrowitz: Item villa Cleper cum triginta sex mansis. Neuwald cum quinquaginta: Richenbach cum quinquaginta. Sonburn cum quinquaginta, Bresnizo cum quinquaginta: Clobuchino cum quinquaginta: in Crecotovo ad sex mansos: in Villa Sobolitz totum, quod concessimus eis ex nostra gratia. Item Decima ejusdem terræ, quam tenuerant milites Picus & Pantislaus. Has prædictas possessiones profitemur dicto Claustro pertinere cum Decimis eorum, quæ sunt eis vel à nostro Antecessore, vel à Nobis diversis temporibus concessa, & Nos eis ipsas in perpetuum cum consensu nostri Capituli confirmamus. Omnes igitur dicto Monasterio super præmissis injuriam facientes, aut aliquam violentiam, divinæ Ultionis committimus judicio; cunctis autem eidem loco Jura sua servantibus multiplicet Divina Gratia tam vitæ præsentis subsidia, quam futuræ. Prædictum autem Conventum petimus, ut in Orationibus suis nostri memores, & nobis Divinam misericordiam, & sibi concilient apud Dominum. Ad memoriam igitur facti præsentem Chartam sigillò nostro & nostri Capituli communimus. Datum Vratislaviæ in Capella S. Ægydii anno millesimo ducentesimo sexagesimo tertio pridie Idus Julii præsentibus bis Canonicis Vratislaviensibus, Domino Nicolao Decano, Sedis-*



lao Custode, & Domino Godefrido Abbate S. Vincentii. Item Magistro Salomone Archidiacono Cracoviensi. Magistro Jacobo Præposito Wylicensi, Gerlaco Præposito Lubusensi: Gregorio Præposito Opoliensi, Nicolao Scholastico Glogoviensi, Mello Archidiacono Legniciensi, Euardo Divficaro, Wotkero Hartwico, Boguslao Dobesio, Thoma Magistro, Francone, Wirchislao, Peterone, Leonardo, Demetrio & multis aliis.

Anno 1284. Titulus seu dignitas Abbatialis Naumburgensis (pro tunc præsidente Tilemanno, qui fuit tertius numero loci Præpositus, primus verò Henricus, item secundus Burcardus suo nomine dictus) cum omnibus Juribus & appertinentis Saganum (prout pluribus in Descriptione Monasterii Saganensis referemus infra) fuit translata, ipsi verò Naumburgensi Ecclesiæ relictum mansit nomen Præposituræ, cui (dum hæc accepimus) anno 1688. præsidet admodum Reverendus Religiosissimus ac Prænobilis Dominus Nicolaus Engelbertus ab Hackenthal Canonicus Regularis Saganensis, idem quoque prædictæ Civitatis Naumburgensis Parochus, item in Kofel & Reickenau &c. Con-Canonicus ac Patronus mihi Colendissimus observandissimus &c. &c.

## NEOSTADIENSE,

Jam pridem antiquatum Canonorum Regularium Monasterium, à primis initiis suis S. Udalrico Episcopo Augustano Confessori dicatum, istud tamen æquè de tempore quàm nomine primæ foundationis haud amplius inquirendum, unicè Nobis constat ex Bruscio de Monast. German. Centur. 2. seu supplemento fol. 195. ubi vel paucis taliter habetur annotatum: *Extrà muros Civitatis (Neostadiensis) fuit inter portas Neukirchensem & Lanionum portam S. Ulrici Cœnobium perlegans, nunc Episcopatus novæ Civitatis (postquam propter Turcarum adventum solotenus eversum est) incorporatum. Id Canonorum Regularium Ordinis S. Augustini erat. Habebat Præpositos, Gubernatores, quorum talem reperi Catalogum:*

I. *Wilhelmus. obiit anno 1481.*

II. *Wolfgangus Fullensack. obiit anno 1484.*

III. *Joannes. obiit anno 1492.*

IV. *Ægydius. decessit anno 1512.*

V. *Sebastianus Suffius.*

VI. *Bernardus Vir bonus & simplex sed & pietatis veræ Christianæ studiosus. expulsus propter Lutheranismum, sub quo Cœnobium (ne ex eo in Turcica expeditione quid pateretur detrimenti Civitas Neostadiana) jussu Regis Ferdinandi solotenus eversum est anno 1529.*

## NERESHEIMENSE

Celeberrimum hodie de Diœcesi Augustana in partibus inferioris Sueviæ Cœnobium Monastico-Benedictinum, primis statim suæ foundationis & quidem antiquissimæ temporibus à Canonicis Regularibus inhabitatum fuisse certa relatione refert Carolus Stengelius Abbas in sua Monasteriologia Benedictina anno 1619. typis Augustanis edita sub his verbis: *Ejus (Neresheimensis Monasterii hujus) primariam Originem fuisse oportet; nam in Neresheimensi Ecclesia sepultum fuisse traditur Hubaldum S. Udalrici (Episcopi Augustani) parentem, qui obiit anno Domini 908. & in Chronico Lamberti Abbatis litterarum monumentis proditum accepimus, cum Monachi Benedictioni in eodem loco constituerentur, Canonicos Regulares attamen numerò paucos ibidem extitisse &c. &c.*

## NESENSE,

Jam pridem antiquatum Monasterium, seu Regularis quondam Præpositura, taliter ab eo, cui vel olim inerat loco, & situatione suâ nominata Regularium Canonorum de Venerabili Congregatione S. Sepulchri apud Silesios, in districtu Diœcesis Vratislaviensis, florentissima, modò tamen hæc & quidem jam à tempore, cujus memoria haud amplius extat, ab Inquilinis Popularibus Religione suâ Lutheranis penitus extincta, inani solum nomine illius Posteris relicto.



## NEUNKIRCHIUM,

Elegans Canonorum Regularium Ordinis Sancti Augustini (intrà limites Diocesis Bambergensis) Monasterium *Neunkirchium* dictum, quod circiter anno 1302. à Leopoldo Sacerdote & Episcopo Comite de Grundlach, vicesimo Antistite Bambergensis Ecclesie fundatum ac dotatum est, qui obiit anno Domini 1305. die 22. Augusti, sepeliturque in hujus sui Cœnobii loco Capitulari. Maximi hujus Monasterii Benefactores fuerunt Joannes Burggravius Noricorum, & Fridericus Marchio (de linea Onolzbacensi anno 1536. ætatis suæ 76. die 4. Aprilis factis extinctus) Brandenburgensis, qui dederunt ejus loci Cœnobitis potestatem & copiam sylvæ Norinbergensis. Abest verò Cœnobium à Norinberga tribus lapidibus. Habuit semper Gubernatores Præpositos, quorum talis extat Catalogus.

- I. Fridericus obiit anno Domini 1334.
- II. Hermannus Strobelius præfuit annis 26. obiit anno 1360.
- III. Henricus præfuit annis 13. obiit anno 1373.
- IV. Engelhardus præfuit annis 30. obiit anno 1403.
- V. Wolframus Buckius cum præfuisset annis 15. obiit anno 1418.
- VI. Hermannus sedit annis 8. obiit anno 1426.
- VII. Udalricus 9. annis ad clavum sedit. obiit anno 1435.
- VIII. Erhardus præfuit 20. annis. obiit anno 1455.
- IX. Jacobus 10. annis præfuit. obiit anno 1465.
- X. Joannes Meyer præfuit 16. annis. obiit anno 1481.
- XI. Joannes Sekel per triennium sedit. obiit anno 1484.
- XII. Conradus Feugell.
- XIII. Martinus obiit anno 1515.
- XIV. Henricus Wurffpein præfuit annis 11. obiit anno 1526.
- XV. Wolfgangus Starck ex Bambergæ natus, annis 9. sedit. obiit anno 1535.
- XVI. Fridericus Wincklmann ex Neunkirchio natus, obiit anno 1546. cum præfuisset 11. annis, egregiâ corporis staturâ præditus, mirè robustus, Latine mediocriter doctus, egregius Monasterii Illustrator & reedificator.
- XVII. Augustinus Crispus ex Forchenheimio natus eligitur anno 1546. præbuit adhuc anno 1550. post quale tempus Neunkirchium à Georgio Principe Marchione Brandenburgico postquam à Religione Catholica defecerat, ad usus profanos fuit reductum Religioso statu indè penitus eliminato, de cujus Documentis litterariis utcunque servatis, etiamnum ad manus habemus Litteras Religiosæ Confraternitatis inter Regulares Canonicos Monasterii Herbrechtingensis jam supra recensiti, & alterius Neunkirchensis hujus contractæ de anno 1452. die 19. Januarii.

## NORDHUSIUM,

Saxonie inferioris Civitas, sub Diocæsano limite Hildesiano comprehensa, & ista jam à longis retrò temporibus in Civibus suis pertinacissimè Lutherana, vel olim in primaria sua S. Mariæ Magdalene Collegiata Ecclesia insigne quoddam Regularium Canonorum Collegium habuit, à Mathilde Coniuge Henrici Aucupis Romanorum Regis anno 938. hoc Sæculo defuncti, liberalissimè fundatum; quod tamen ipsum vertentibus annis fortè sub initium Sæculi duodecimi multorum consimilium per universam Saxoniam hinc indè tum temporis consistentium exemplò sæcularisatum, ac tandem decurrente Sæculo decimo sexto prævalente hæresi, secundum omnem priorem statum suum merissimè fuit abrogatum.

## NOVA CELLA,

Seu *Neocellense*, patriâ verò voce *Neustufft*, apud Tirolenses Civitati Brixinensi, gratissimâ situatione suâ, proximum Canonorum Regularium sanè nobilissimum, excellentissimum, amplissimum, ditissimum imò & longè celeberrimum; utpote nostris etiamnum temporibus Religiosis Inquilinis quâ doctissimis, quâ pientissimis, ac zelotissimis, sed & Natalium splendore spectatissimis abundè refertum, de quo (oc-



caſione Marianæ cujusdam Statuæ in Eccleſia Neocellenſi quotidianis propèmodum miraculis Claræ) R. P. Guilielmus Gumpenberger Soc. Jeſu in ſuo Atlante Mariano Triade 4. Imag. 1194. fol. 302. vel pauca ſolùm hæc apponit ſequentia: *Cella Mariæ ſeu Neuſſiſtiana unius loci ſunt duo nomina. Primum dedit Hartmannus Episcopus Brixinenſis, qui hoc Deiparæ primum Sacellum privata ſua pietati ædificavit, templum ædificaturus ſi pecuniæ non deſuiſſent: E Magnatibus unum rogat, cui Reinbertus nomen fuit, ut Virginem honorare dignetur templo & Cœnobio, ſed fruſtrâ, obſtabat pio Viro bæres parvulus, quem, ubi brachio circumferens Deiparæ obtuliſſet, optaſſetque videre potiùs in hac innocentia, quàm aliquando in peccato moriturum; pii Patris voto virago annuit, & paulò poſt ex hac ad meliorem vitam ſuſtulit non invito parente, qui felicitatem filiolo gratulatus eſt. Inde ad Virginis cultum ſe convertit, ſe & omnia ſua in templum Deiparæ & Monasterium effudit, vitamque Religioſè actam morte concluſit. Et ſic ille loco citato. Verùm ampliffimæ Canonix hujus Deſcriptionem ex ipſis Annalibus domeſticis de verbo ad verbum fideliffima deſumptam, in rem præſentem gratioſè nobis communicatam ſic accipe:*

Si in rebus humanis glorioſum eſt præclaros habuiſſe Progenitores, & ortùs ſui præclaram nôſſe Nobilitatem, non minori forſitan jure hoc ipſum ſibi vendicabunt Domus illæ divino cultui dicatæ, quæ à Clariffimis & omni laudum præconio digniffimis hominibus, veluti quibusdam Progenitoribus foundationis & ortùs ſui genuinam originem ducunt. Habet profectò Eccleſia iſta Neocellenſis undè non parùm gloriatur, illos nimirùm ſibi obtigiffè feliciffimâ forte primos parentes, qui tum Sanctitatis ac virtutum meritò, tum rectè factorum inſigni ſplendore, tum etiam ampliffimâ facultatum potentiâ nemini Fundatorum facilè cedunt. Inter hos autem primum meritò locum obtinet magnum illud non ſolùm Brixinenſis, ſed & univerſalis Eccleſiæ lumen & columen verè Beatus ac ter venerandus Præful Hartmannus, qui non abſque præpotenti divinæ pietatis inſtinctu Novæ Cellæ & exorturæ primus Author, & exorta indefeſſus Propagator extitit, nunc verò in cœlis ejusdem feliciter hætenus progredientis validiffimus haud dubiè apud Deum Patronus, & Interceſſor permanet; de hujus igitur præclariffimi Viri meritis acturi, primò omnium ab ejus vitæ primordiis initium ducamus.

Fuit Hartmannus, ut recentior quidem ejusdem vitæ Scriptor (R. P. Mathæus Raderus Soc. Jeſu in ſua Bavaria Sancta Volum. 2. foli. 262. & ſequentibus) teſtatur, non procul Batavio Bojorum Urbe, quæ nunc *Paſſavium* dicitur, ſecundùm alios verò in agro Pollingano, fortuna uti non ſumma, ita nec infima honeſtis Majoribus natus, circà annum à Chriſto Nato 1100. & ſicut lilium inter ſpinas in aſpero & inculto duræ cervicis populo manſuetiffimus exortus. Dum adhuc puer eſſet, eum Parentes Collegio Divi Nicolai Canonikorum Regularium ad Batavium ſito literis erudiendum tradidère: ubi favente divinâ gratiâ brevi tempore tantùm profecit, ut decursâ tenuiore ætate, non ſolùm ad Regularem Beatiffimi Patris Auguſtini vitam in eodem loco aſſumptus, verùm etiam paulò poſt cum miro profectu in virum perfectum evaſiſſet, à Conrado Salisburgenſis Eccleſiæ tunc Archi-Epiſcopo famâ Sanctitatis celeberrimo magnis votis fuerit expetitus. Dum enim Religioſiffimus hic Antifteſ Conradus in ſua Metropolitana Eccleſia vitam Apoſtolicam juxtâ Divi Auguſtini Regulam inſtituere cœpiſſet, eidem Canonikorum communiter viventium novello Collegio Hartmannum è ſupradictò S. Nicolai Domicilio magnâ precum instantiâ vix impetratum, Decani loco præfecit. Sed non longa interceſſit temporis mora, cùm ejusdem Præfulis authoritate Cathedralis Eccleſiæ Chiemenſis Præpoſituram juſſus eſt ſuſcipere. Inter hæc autem Divus Leopoldus Auriæ Princeps juxtâ magnificentiam gloriæ ſuæ anno Domini 1114. ampliffimum Neoburgenſe Cœnobium condidit: in quo primitùs ſub Othone primo Præpoſito Sæculares tantùm Canonicos poſuit; ubi verò poſt aliquot annos hujusmodi Inſtitutum Clericale in Regulare juxtâ normam Sanctiffimi Patris Auguſtini commutari fecit, Hartmannum iſtum devotis precibus magnopere efflagitatum per Diſpenſationem Ordinariam præfatæ novellæ plantationi ſuæ primum Præpoſitum tandem anno 1133. lætus obtinuit. Sicut autem in Hartmanno creſcebat multiplex honorum dignitas, ſic etiam augmentabatur in eo omnis generis virtutum ſublinitas, quarum in ſuſcepta Neoburgi tum Virorum, tum ſacrarum Virginum cura, ſicut etiam in cæteris, in quibus antè converſarus fuerat, Eccleſiis, admiranda reliquit pietatis ſuæ veſtigia, cujus enim jam tum fuerit mentis & exiſtimationis teſtantur, non ſolùm crebra miracula, ſed etiam Summi Capitis Eccleſiæ ſententia, dum eum Innocentius II. Romanus Pontifex Agneti ejusdem, quem ſuprà memoraſimus Divi Leopoldi relicte Viduæ, & Filiis ejus per ſpeciales litteras commendârît



his verbis: *Dilectum quoque Filium nostrum Hartmannum ejusdem loci Præpositum pro Beati Petri & nostra reverentia honoretis, & diligatis, & in suis necessitatibus Paternis studeatis affectibus subvenire &c. &c.* prout fusiùs refert Thomas Hefelbachius in M. S. Codice ad annum Christi 1133.

At verò, quòd Beato Viro molestissimum accidit, neque hìc se locum quietis, qualem totis votis desideraverat, invenisse expertus est: contigit enim per id temporis mori Brixinensem Episcopum Reinbertum, cujus in locum Hartmannus universis Electorum suffragiis subrogatus, & licet invitus novos majorésque labores, & non affectatos honores assumere fuit coactus. Agebatur autem tunc Christi annus 1140. uti præter librum nostrum Capitularem plurima hinc indè testantur loca. Et contigit quidem postrema hæc Beati Viri Translatio ad Episcopatum Brixinensem planè disparibùs utrinque votis, dum scilicet Neoburgenses de insperata Dilecti Præsidis jactura non modicè lugerent, Brixinenses verò econtrà de optimi Pastoris adventu mirum in modum exultarent: Divinà interim providentià illud potissimum agente, quo & honoris sui dignitas, & Ecclesiæ sibi committendæ prosperitas selectissimi hujus Præsulis interventu quàm maximè promoveretur. Igitur in eminenti Brixinensis Ecclesiæ specula constitutus Hartmannus noster sextum videlicet & tricesimum loci hujus agens Episcopum, cum molestissimis sæcularium negotiorum tumultibus vehementiùs inquietaretur, cœpit ingemiscere, suspirans ad illam requiem, quam in Religione positus habere consueverat; ferebat enim ægerrimè optimam sibi sortem quasi penitus fuisse ereptam Deo, prout semper desideraverat, in optatissima Religiosæ conversationis quiete ferventiùs serviendi, eò quòd non haberet, ubi suum Episcopali onere depressum caput reclinaret. Dum autem Religiosissimus Antistes impensius cogitaret, quodnam dolori suo remedium quæreret, oblatam sibi divinitus Religiosæ Domus extruendæ hujusmodi occasionem invenit; Habebat Hartmannus inter aulicos & intimos familiares suos Reinbertum quemdam Prænobilem Dynastam, qui tunc temporis tum Natalium claritate, tum amplissimarum possessionum facultate & abundantia cunctos longè præcedebat. Hunc itaque concepti propositi sui non ineptum Coadjutorem fore, uti postmodum reverà factus est, existimavit. Sed antequam ad rem ipsam digrediamur priùs de hoc Reinberto & Christina ejus Conjuge factis postea Fundatoribus pauca præmittemus.

Erat Reinbertus antedictus ex Nobilissima & Illustri Stirpe de Seben oriundus, cujus Originem non vanis conjecturis inhærentes, sed probatâ autoritate nixi, ab antiquissima Romanæ Colonia familia deductam, hìc nonnihil prolixiùs enarrare operæ pretium duximus; cùm illud & personæ, in cujus cedit honorem, dignitas, & historia, quam auspicati sumus, major evidentiâ & claritas postulare videantur: Subministrante nobis hujuscemodi scriptionis argumentum gravi quodam Authore Ildebrando Florentino, nomine Magistratùs Civitatis suæ Florentinæ ad Serenissimum Principem Leopoldum Austriæ Ducem sub annum 1225. Legatum: qui in quadam Epistola Altefatæ Serenitati suæ directâ, interpolatim hæc habet: aliqua de Sabiona subjungo, quæ & in antiquissimis Chronicis scripta inveni, & quæ in scripturis ac libris quorundam Illustrium Romanorum in monte Portu occisorum reperta sunt, & pro veris habentur: nam cùm apud præfatum montem Portum Romani cum maxima imò quasi innumerabili multitudine fuissent trucidati, sub annum Domini 1161. per Teutonicos pro Imperatore Friderico Barbarossâ præliantes contrà ipsos Romanos; scripturæ & libri Illustrium generationum originem continentes, de Sabiona plura narrabant, cum quibus antiquissima Chronica plurimum concordant; quòd antè tempora Christianorum ducentesimo & vigesimo anno Rex quidam fuerit avitæ Religionis suæ ritu gentilis, Arostoges suo ex nomine dictus, & quidem cum addito Rex Montanorum appellatus, eò nimirum, quòd sedem Regni sui teneret in urbe Sabiona, quæ tunc urbs fortitudinis dicebatur, & erat populosa & opulenta nimis. Quia autem ipse Rex nullos filios, sed unam solùm prolem scæminam, & duos nepotes seu filios fratris sui, sibi plurimum dilectos habebat, cùmque Romani, qui totum quasi mundum sibi suppeditassent, terras hujus Regis per potentiam capere non valerent, prædictos Nepotes ejus Duces sibi muneribus, & promissis allexerunt, & totum Regis regnum ipsis se daturos affirmaverunt, si ipsi dictum Regem & urbem Sabionam ad manus Romanorum traderent. Qui nepotes receptis muneribus & promissis spem de regno consequendo firmam habentes, tanquam familiares, ut aliàs consueverunt, Regem in urbe prædicta accedunt, sed multitudinem armatorum hominum inconsuetam adducunt, & ipsum Regem ac omnes Principes ac Tribunos, familiarésque universos occidunt, solâ Regis Filiâ vivâ permanente: Urbem verò prædictam & filiam Romanis assi.



affignant. Sed cùm Romani habitâ Urbe & Sede Regali totum territorium, quod Rex ipse per se rexerat, sine lite cœpissent, & non dedissent Regnum ipsum, ut polliciti fuerant Ducibus antedictis, ipsi Romanis se quærunt opponere, in quos Consul Romanorum Sabionensi Regno præfectus, & exinde Sabionensis dictus tanquam perfidos arma sumens, terras eorum cœpit, easque Romanorum dominio totaliter subjugavit, filiam Regis prædictam idem Consul filio suo unico desponsavit, & copulavit; qui ex ea tredecim filios generavit exceptis filiabus: à quolibet autem filiorum, cùm omnes generativi & fœcundi essent, generatio copiosa provenit in Roma, ita ut tredecim generationes Illustrium Romanorum essent, quarum aliquæ usque ad supradictum prælium, in monte Portu habitum, perdurâsse leguntur, originaliter ex Sabionensi stirpe Regia descenderint. Hactenùs citata Epistola.

Ex hac igitur tam illustri Sabionensium Romanorum familiâ Reinbertum nostrum originem duxisse, & ob hoc vulgari nomine de Seben cognominatum fuisse, nihil dubitantes credimus: quamvis & aliam hujus cognominis de Seben derivationem ex eo deduci posse non ignoramus; quòd idem Reinbertus prædictæ urbis Sabionæ, postquam jam multis cladibus eversa, sub Episcoporum Brixinensium ditionem esset redacta, amplissimo munere Præfectum seu Castellatum egisse memoretur: cui tamen deducti nominis rationi priorem, utpotè veritati magis consentaneam omninò præferendam esse, persuasum habemus.

Cæterùm his quomodocunque se tandem habentibus fuisse Reinbertum non modò sanguinis nobilitate præclarum, sed etiam manu fortem, ac strenuum, rebûsque gestis illustrem, & quæ summa Magnorum Virorum laus est, insigni pietate conspicuum, dubitandum non erit, cùm id excelsæ ejus virtutes & acta, quæ subindè commemorabimus, clarè testentur, propter quas etiam animi dotes præcipuum inter primos Brixinensis Ecclesiæ Ministeriales, seu Consiliarios locum obtinuisse; Beatòque Præsuli Hartmanno acceptissimus fuisse legitur.

Correspondebat autem his Reinberti dotibus non impar tum genere tum pietate Conjux Christina, virilis animi fœmina, ex prænobili Bavarorum stirpe progenita, cujus tamen denominatim familiæ fuerit, nulla hactenùs certitudo indagari potuit; licèt interea non nemo ex nostris eidem Christinæ illa ipsa Nobilitatis insignia attribuere ausus sit, quæ Serenissimæ Domui, quæ hoc tempore Bavarorum gentis Principatum tenet, communis est; Hoc verò, nos utpote sufficienti evidentiâ destituti, libenter in medio relinquimus.

Porrò ex eadem Christina Conjuge Reinbertus binam tantummodò prolem suscepit, videlicet natu majorem filiam nomine Gisilam, quam Parentes cuidam Nobili ac Libero Baroni Henrico de Lazfons legali matrimonio conjunxerant. Alter erat filius nomine Udalricus, qui ut paulò post dicetur, teneris adhuc annis ex hac vita mirabiliter sublatus est, at verò quænam Præclarissimi hi Conjuges circa foundationis nostræ plantationem æternâ laude digna præstiterint, pluribus deinceps locis commemorabitur. Nunc ad ejusdem Foundationis procuracionem accedamus.

Cùm, ut præmissum est, Venerandæ recordationis Episcopus Hartmannus jam dictum Reinbertum suæ pietatis propositi Coadjutorem sibi delegisset, Eundem statim circa Episcopatus sui initium crebris adhortationibus adortum studuit permovere, ut pro facultatum potentiâ & amplitudine ad honorem Dei & Gloriosissimæ Virginis Mariæ Religiosam Domum construeret, quo pietatis opere non solùm strenuæ virtutis suæ relinquere posset monumentum, & nomen perpetuæ commendare memoriæ, verùm etiam cùm aliquando deficeret, in æterna tabernacula recipi mereretur. Hæc ad eum Venerabilis Sollicitator Episcopus.

At Reinbertus, quamvis, quod jam supra attigimus, inter cætera virtutum insignia etiam Pietatis zelo præstaret, obstabat tamen, quo minùs familiaribus B. Hartmanni monitis tunc locum daret, unicus, quem ex Christina Uxore suscepisse dictum est, filius nomine Udalricus. Hunc siquidem cùm tenerrimo eum prosequeretur amore, tam amplæ hæreditatis patrimonio privare, paternis visceribus nimis durum videbatur. Et hæc quidem carnalis affectûs ratio in Reinberto Religiosissimi aliàs pectoris viro tantoperè prævaluit, ut Beatissimi Antistitis Suasioni repoluerit, se ad construendum, prout ab illo desideraretur, Religiosorum Collegium haud quaquam sufficere, fatisque fore patrimonio & facultatibus suis, si cum ipsius Episcopi adjutorio



Domum hospitem exædificare ac promovere posset, sperare autem se per hoc Bonitati Divinæ pro tenuitate sua sufficienter sese gratum esse exhibiturum. Ita Reinbertus. Sed quoniam humanorum cordium scrutatori Deo acceptissimum erat fidelis Servi sui Hartmanni consilium; volens idem Seminor boni consilii dura quæque & aspera facere in vias planas, hujusmodi misit tollendæ difficultatis medium.

Gestabat quâdam die Reinbertus in ulnis perdilectum sibi filiolum, piôque affatus Spiritu ardentibus votis sic præcabatur Dominum: O Deus! cui nihil est occultum, præsciens enim es futurorum, si puerulus iste olim evasurus sit in virum probum, & Te timentem, serva eum, obsecro per multa annorum tempora: sin autem & ipsum per viam perversitatis & nequitia à tramite veritatis declinaturum prænoñsti, maturò eum fatò subtrahe. Sic oravit, & obtinuit: rata enim habens pia precantis vota omnium Cognitor Deus, paulò post Puerum in tenerioris adhuc ætatis innocentia constitutum, ne in pravitatem deflecteret, ex hac luce subtrahit.

Hæc audiens Beatus Præful Hartmannus, ac Dominum Deum desiderii sui cooperatorem probè intelligens, acceptâ per hoc oportunitate ferventiùs instare cœpit, ut verbum salutis, quod in corde Reinberti seminaverat, ad maturam perfectionis segetem proveheret: nec sine desiderati fructûs eventu; videns namque sæpeditus Reinbertus sublato hujusmodi impedimento jam sibi possibile factum esse, quod paulò antè paternis visceribus intolerabile videbatur; divinas inspirationes & Beati Viri adhortationes gratanter suscepit, communicatisque mox cum Christina Coniuge consiliis non solum sicut antea proposuerat, hospitem Domum, sed insuper quemadmodum Hartmannus Episcopus suaserat, in honorem Dei Genitricis Mariæ insigne Collegium, in quo Canonici Regulares juxta Regulam Divi Augustini communi vitâ viventes, instituerentur, exstruere ac fundare constituit.

Liceat hîc nobis miram divinæ Bonitatis abundantiam admirari, quæ hamo suæ misericordiæ & Patrem & filium tam clementer attraxit, quando is, qui neminem vult perire, filiolum adhuc labe mortalis criminis carentem ex mortalitatis corpore abstraxit, & sic peccatum Patris, quod fortè per immoderatam filii dilectionem contraxerat, per ejusdem filii subtractionem puniendo delere voluit. Nec parùm te, Reinberte, ob hoc felicem meritò dixerimus, qui unâ cum fidelissima uxore tua Christina cœlestibus monitis, fanisque Hartmanni consiliis obtemperans pro unci hæredis amissione tot impropterum filiorum Pater & Fundator fieri, totque bonorum operum, quæ hoc in loco per dicatos Deo homines copiosè peraguntur, præ cæteris particeps effici meruisti. Majores tamen tibi grates nos debere fatemur, O Præfulum Decus Hartmannæ, qui te Divino huic operi non tam sedulum Instigatorem, quàm benignissimum Cooperatorem exhibuisti: dum non passus es primæ hujus Foundationis exordia sine Pontificiæ largitatis tuæ beneficiis, & præclaræ Sanctitatis Benedictionibus procedere, quamvis non omnia quæ clementissimus Deus per te in hoc loco operari dignatus est, hîc annotari valeant. Hactenus documenta Neocellensia. Cæterum magnificentissimum istud Collegium ætate nostrâ inter omnes Archi-Ducalis Provinciæ Tirolensis Status Ecclesiasticos facile post duos Episcopos Brixinensem & Tridentinum, præcipuum in Reverendissimis Prælatibus suis constantissimè gaudet privilegio & usu Mitræ, ac aliorum Insignium Pontificalium jam ab anno 1449. autoritate Nicolai Papæ V. concessò. Nomina verò Præpositorum quamvis simplicia tantùm subjungit Franciscus Adamus Comes à Brandis in novo suo Chronico Tirolensi anno 1678. typis Bulsanis edito fol. 28. ubi postremus (idem aliàs ordine tricesimus septimus) ponitur Hieronymus hujus nominis secundus Nobilis Tirolensis à Rottenbuch.

### NOVESIANUM

In paris nominis oppido ditionis & Archi-Diœcesis Coloniensis celebrè satis atate nostrâ Monasterium Congregationis Windesimensis, cum prima origine sua auctore Laurentio Surio in Commentario Rerum in Orbe gestarum ad annum 1585. fol. 1167. taliter descriptum: „ Cùm Pagani Ubii has terras habitarent, hoc loco Libero Patri Sacellum extruxerunt, quod succedente Christianismo in honorem Divæ Mariæ Magdalene anno 690. sub Adelwino Archi-Episcopo Coloniensi est consecratum. Anno deinceps 881. Nortmannorum Reges Godefridus, & Sigefridus Agrippinam, Bonnam, Tulpiacum, Novesiumque igne depopulantes, etiam Sacellum hoc in favillas redegerunt. Postea Novesio reædificato, Sacellum hoc quoque restauratum, institutumque ibidem est à Sigewino Archi-Episcopo Sacerdotum & Cle-

„ rico-



ricorum Collegium. Ad hoc Collegium quidam Viri pietate & Religione insignes è Metropolitano Collegio Coloniensi, approbante hoc Reinoldo Archi-Episcopo commigrârunt. Philippus verò, Reinoldi Successor, Institutum horum Collegiarum confirmavit, voluitque quindecim hic fore sub uno Præposito Canonicos. Factus itaque est anno 1161. primus Præpositus Sigewinus, sub quo, & sub ejus Successoribus multi Comites in hoc Collegio Domino Deo strenuè militârunt: donec anno 1393. R. D. Petrus de Domo Teutonica Præpositus Collegium hoc reformavit, & Successorem Joannem de Puteo constituit, quæ Reformatio postea à Friderico Archi-Episcopo Coloniensi in oppido Zontino confirmata est; cujus tandem tempore, anno scilicet 1430. Capitulum hoc Novesiense, Capitulo Windesemensi Brilis Hollandorum congregato, est unitum: eique datum, ut in ordine esset à Windesemensi Monasterio primum. Tunc habitum Canoniorum Regularium Collegii legæ fuscipientes, anno post quarto Ægydium Bocherolium Remmerswalensem priorem suum Priorem in Concilio Basileensi postulârunt: quâ in disciplinâ ad annum 1583. (quo tempore Monasterium dirutum est) vixerunt. Hæc Surius loco citato. Post quem adducenda videntur hic etiam ea, quæ de primaria Nussiensis Fundatione recensent Annales Domestici, & sunt sequentia: Monasterium Canoniorum Regularium Apostolici Ordinis sub Regula illuminatissimi & Sanctissimi Ecclesiæ Doctoris Augustini Episcopi Hipponensis in Africa, in primaria Archi-Diœcesis Coloniensis post ipsam Metropolim, oppido Novesium, seu Nussia nuncupato, fidelis Ecclesiæ Coloniensis filiâ olim extrâ portam ad viam publicam versûs Coloniam Agrippinam ædificatum, & fundatum fuit, & quidem circâ tempus fundationis ad ripam Rheni, & loco elevatiore. In illo autem loco Fanum Liberi Patris extiterat, quod vetustissimum semidirutumque Claudius Civilis Princeps Batavus, post prosperum propè Nussiam equestrem conflictum habitum, restaurâsse fertur.

Anno Dominicæ Incarnationis circiter sexcentesimo nonagesimo, præsidente Coloniensi Episcopo Adelwino hoc ipsum Fanum in Sacellum B. Mariæ Magdalenæ commutatum est, verum exindè, & quidem anno octingentesimo tertio Godefridus, & Sigefridus Northumbriæ aut Nortmanniæ Reges, cum innumera Barbarorum multitudine totam Regionem istam plûs quàm hostiliter invadentes, simul ac concremantes, etiam Novesium cum vicinis, atque hoc ipsum etiam memoratum Sacellum hostiliter exciderunt, & devastârunt. Post quas miseras taliter expletas, in loco isto constituta, seu potiùs inædificata fuit grangia quædam, quæ in usum Minorum Metropolitanæ Ecclesiæ Canoniorum fuit servata usque ad tempus Reinoldi Archi-Episcopi sub annum 1163. delecti; qui dum circâ annum 1161. officio & dignitate suâ Cancellarius Friderico I. Barbarossæ, Romanorum Imperatori, in bello Italico firmiter assisteret, & Philippus de Hirsberg, Major Decanus Archi-Diœcesin administraret, contigit, quòd quidam devotus Sacerdos nomine suo Sigewinus dictus, cum pluribus aliquot aliis Sacerdotibus Deo sub habitu Canonicali deservire constitueret; quibus etiam quidam Metropolitanæ Ecclesiæ Canonici, quorum corda Deus tetigerat, omnes de Familia Illustri progeniti, sese spontaneè conjunxerunt. Siquidem ipsi memorati Canonici Metropolitaniani sub Abbate regulariter in unâ Fraternitate dudum vixerunt. Consilio ergò cum ipso Domino Philippo majore Decano habitò, grangia illa propè Nussiam cum adjacente Filiâ pro loco Monasterii seligitur, ac deputatur, ipsique Sigewino supra memorato, ac Sociis suis ad Monasterium ibidem ædificandum traditur, qui favente Divinâ gratiâ brevi tempore ibidem Ecclesiam cum Monasterio construxerunt. Mortuò tandem in Italia Reinoldo in Archi-Episcopatu successit Dominus Philippus de Hirsberg hujus Instituti Fautor, & Cooperator eximius, qui confectis litteris locum cum omnibus appertinentiis ipsi D. Sigewino & Fratibus, ibidem in perpetuum Deo servituris, tradidit, & confirmavit, ipsumque Sigewinum communi sententiâ electum in Præpositum instituit, & munificentiâ Archi-Episcopali certos redditus annuos donando, & Præbendam Eleemosynalem annuam assignando, novellum Monasterium dotavit, circâ annum Domini 1181. Canonici quoque Metropolitaniani diversas decimas & prædia ipsis contradiderunt, & in signum Unionis constituerunt, ut Præpositus ipsius Fraternitatis propè Nussiam ad suum Metropolitanum Chorum veniens Canonicam perciperet portionem, sicut latius partim ipsæ Litteræ usque modò sub sigillis integris asservatæ, docent, partim ipsum magnum Chronicon Belgicum in summo Altari ipsius Ecclesiæ extrâ Nussiam exaratum, circâ annum Domini 1474. videri ac legi potuisse, ac in ipsiis Registris Minorum summi templi tunc repertum fuisse refert. Adolphus ejusdem Ecclesiæ Coloniensis Archi-Episcopus eandem Fundationem ac factas Donationes confirmavit, ac in suam, Divique Petri protectionem suscepit, divinæ ultionis sententiam interminando iis, quicunque sine ordine judicario Domum hanc in suis



possessionibus aliquo damno vel læsione profecuti fuerint, & condignò non satisfecerint. Factum anno Domini 1195.

Porro de præclarissima Congregatione Canonorum Regularium *Nuffiensi* dicta, postmodum, ut paulò infrà dicetur, Windesimensi unità vide Molanum, & Joannem Buschium in Chron. Windesim. quos ambos citat, & allegat Pennottus noster in Histor. Generali Lib. 2. cap. 66. num. 3. Sed ad historiam nostram Novesianam amplius illustrandam juvat hic etiam proferre ea, quæ Reverendissimus ac Amplissimus Dominus D. Joannes Zilles idem Congregationis suæ Windesimensis pro tempore per Germaniam Superiorem Commissarius, instantissimè per me rogatus, in rem præsentem subministravit de Ortu & progressu Canoniarum hujus taliter exarata: Monasterium hoc in oppido Novesium vel Nussia dicto, post ipsam Ubiorum Metropolim seu Coloniam Agrippinam situato, sub patrocinio B. Virginis Mariæ (cujus in throno sedentis imaginem in sigillis suis ordinariis expressam habet) constitutum; primitus ædificatum fuit extrà portam, & quidem ad ripam Rheni, in loco elevatiore Monasterium novi Montis seu *Over Closter* eàpropter appellari solitum. Fuit autem hic loci fanum aliquod priscais sæculis Libero Patri sacrum, idem sub annum circiter 690. in Sacellum S. Mariæ Magdalenaë quidem commutatum; verùm post annos 83. irruptione Barbarorum, maximè verò Godefridi, & Sifridi Nordmanniæ seu Northumbriæ Regum, unà cum oppido suo Novesio totaliter exustum periiit; ex quo tempore tristissimam omnimodæ desolationis faciem induit, ac tandem hic loci Grangia quædam in usum Canonorum Metropolitanæ Coloniensis extracta fuit, quæ usque ad tempora duravit Reinoldi Archi-Episcopi, qui supremo Cancellariatûs Cæsarei munere perfunctus, dum Castra Friderici Barbarossæ secutus in Italia subsisteret, atque intereà temporis majoris Ecclesiæ Decanus Philippus de Hirsberg ejusdem Archi-Episcopi vices gereret, fortè contigit, quòd devotus quidam Sacerdos Sigewinus nomine cum aliis pluribus Presbyteriis, & Clericis (pro antiquo Instituto Regulari apud majores Ecclesias in Germania id temporis sensim in pejus immutato, pro viribus saltem restituendo) secundum propriam antiquo-novam Canonorum Regulam Deo impensius defervire constitueret, quem, quia hac in parte de majori etiam Ecclesia Coloniensi Canonici quidam, quorum Deus corda tetigerat, fuerunt secuti, consilio cum Philippo Decano supradiçto desuper præmaturè habito, memorata grangia cum adjacente sylva ad habitationem congruam oportune construendam data & concessa fuit Sigewino & fociis: quorum vigilantissimâ curâ hic loci brevi stetit Monasterium cum adjacente Ecclesiâ ritè coordinatum, siquidem ipsi Metropolitanæ Colonienses Canonici secundum Regulam (ut suprà dictum est) in communi vixerunt. Reinoldo tandem in Italia demortuo successit in Archi-Episcopatu ipse Dominus Philippus Decanus antedictus, qui hujuscemodi Institutum Autoritate Ordinariâ legitimè comprobavit, & Sigewino Sacerdoti supradiçto de communi aliorum sententiâ in primum novellæ Congregationis Præpositum electo, & reliquis Sodalibus ipsi religiosè conviventibus fundum (cui novum Claustrum superædificatum fuit) totum cum appertinentiis in propriam ac perpetuam possessionem etiam Successoribus eorum integerrimè tenendam tradidit, atque ex Archi-Episcopali munificentia sua certos redditus quot annis colligendos superaddidit, quod factum fuit anno 1181. Nunc gratæ memoriæ ergò hic enumerare placeat Personas illustres de Ecclesia nostra Novesiana titulo beneficentiæ strenuè promeritos, & sunt sequentes:

### Summi Pontifices.

Honorius III.

Innocentius VII. qui ambo Ecclesiam Nuffiensem cum quævis possessionibus & appertinentiis illius in specialem suam & Sedis Apostolicæ protectionem susceperunt, proprio Diplomate in hunc finem clementissimè dato.

### Archi-Episcopi Colonienses.

Philippus de Hirsberg, Fundator. anno 1181.

Bruno de Altena. 1191.

Adolphus de Altena. anno 1195.

S. Engelbertus Comes de monte Martyr. anno 1225.

Henricus de Molevarck. anno 1227.

Fride-



Fridericus de Zanweden. anno 1401.

Theodericus de Mœrfa. anno 1416.

Hermannus Landgravius Hassiæ. anno 1517.

### Duces, Comites, & alii Nobiles Dynastæ.

Ludovicus de Milendunck. anno 1222.

Conradus de Dicka. anno 1223.

Otto Comes Geldriæ. anno 1237.

Theodericus Comes Cliviensis. anno 1270.

Aleidis Comitissa Cliviensis. anno 1275.

Wilrannus de Juliaco Miles Dominus de Bergheim. anno 1308.

Imagina Conthorali ejus.

Adolphus de Wevelkoven, & Aleidis de Nersfen ejus Conjux. anno 1342.

Gerardus Princeps Cliviæ Comes de Marcka.

Robertus Dux Juliæ, Cliviæ, Montium &c.

Wilhelmus Dux Juliæ ultimus.

Joannes Wilhelmus ultimus Dux Juliæ, Cliviæ, Montium &c.

### Canonici Nussienfes genere Comites nati.

Henricus de Seina. anno 1168.

Hildegerus de Diphold. anno 1188.

Henricus de Altena. anno 1191.

Ricolphus de Monte, Prior. anno 1193.

Joannes de Ridtberg, Decanus. anno 1195.

Anchises de Molenmarck. anno 1195.

Volmarus de Adochk. anno 1212.

Everhardus de Wevelkoven. anno 1215.

Dericus de Ducka. anno 1218.

Gero de Alphin. anno 1230.

Henricus de Helfenstein. anno 1239.

Henricus de Erperath, Præpositus Sceffensis. anno 1260.

### Præpositi Monasterii Novesiani, seu Nussienfis.

I. Sigewinus Religiosæ Confraternitatis in Monasterio extrâ Nussiam primus Author & Institutor præfuit ab anno 1161. usque ad annum 1183.

II. Henricus Præpositus tempore Brunonis & Adolphi Archi-Episcopi Coloniensis. anno 1195.

III. Luppo. anno 1212.

IV. Jacobus de Hochsteden. anno 1230.

V. Ludolphus. anno 1250.

VI. Rembedo. anno 1290.

VII. Wernerus tempore Wilrami Archi-Episcopi Coloniensis anno 1335. hic constituit, ut non nisi octo Personæ Regulares essent in Conventu, cùm â principio fuissent quindecim.

VIII. Wilhelmus de Gobel-Rode. anno 1335.

IX. Gerardus de Herda. anno 1371.

X. Sibertus Picesso de Nussia. anno 1377.

XI. Her-



XI. Hermannus Prochers. anno 1384.

XII. Petrus de Domo Teutonica dictus. Is aliquando sub annum circiter Sæcularem 1400. (uti Annales Domestici perhibent) coram Imagine Beatæ Virginis Mariæ in Ecclesia orationi consuetae intentus, quasi indignus, quod ipsam invocaret, sibi visus est omninò repelli; unde salutari pudore suffusus majori fervore precibus institit, ac tum Matrem misericordiæ sibi dicere meruit: *si vis te emendare, ego volo te juvare*, quæ inter verba Deipara ad ipsum conversa manu dexterâ amplius subdidit; *hoc promitte mibi*: ipse verò Petrus Præpositus sibi redditus, deprehendit manum illius quasi mollem & omninò carneam, faciem verò suam lacrymis undequaque perfusam; quare talibus attonitus visis altâ mente ea reposuit. Quo tempore eadem ter admirabilis Dei Mater zelosissimo cuidam Sacerdoti ac Pastori Everhardo de Eza (cujus laus est in Chronico Montis S. Agnetis cap. 12. fol. m. 160. & seq.) in Almelo civitate Hollandiæ in forma ejusdem Imaginis per visum apparuit, præcipiens ei, quanto cyùs iret ad Monasterium propè Nussiam, & loci Præpositum in reformatione ejusdem Monasterii strenuè juvaret, quod & promptissimè fecit. Petrus itaque Præpositus iste satis agnoscens, qualiter sæpeditum Monasterium à primæva institutione sua miserabiliter defecisset, juxtâ quoque propriam infirmitatem suam, pro concepta reformatione firmiter stabiliendâ minùs idoneam & sufficientem agnoscens, quasi per recensitas apparitiones supernè monitus, die 18. Julii anno 1401. ultrò gubernaculis cessit per viam, uti vocat, Resignationis in manus Ordinarii R. D. Friderici de Zanwerden Archi-Episcopi Coloniensis liberrimè factæ, ad Monasterium Heisterbacense Ord. Cisterciensis inde ipse digressus, ubi Monachum induit, ac tandem in Domino piissimè requievit.

XIII. Joannes de Wael Prior Regularis in Zwollis ad interim tantum in Præpositum Nussiensem constitutus, usque ad medium solummodò decursum anni proximè sequentis 1402. præfuit.

XIV. Joannes de Puteo die 27. Augusti præfato anno 1402. in Præpositum Nussiensem electus, & confirmatus conceptæ Reformationi omnimodè prosequendæ, totus quantus incubuit, atque gravissimas has inter curas etiam facta tecta templi & Monasterii Novesiani studiosè restituit, æs alienum omne diluit, ac novos insuper reditus de jure & consuetudine quot annis in futurum solvendos, sibi ac Successoribus suis proprios comparavit: quibus adde, quòd fragrantissimo ejus odore bonæ conversationis undequaque diffuso, plura ac diversa virorum æquè ac fœminarum Monasteria ipso satagente fuerint vel de novo instituta, vel ad strictiorem vitæ Regularis observantiam plenissimè deducta, unde factum, quòd novum Capitulum Nussienfe dictum undecim Monasteriis coordinatum Authoritate Pontificiâ Martini V. ita fuerit comprobatum, ut Caput illius sub uno eodémque habitu & formula vivendi, deinceps semper esse deberet; sæpeditum Monasterium hoc Beatissimæ Virginis propè Nussiam, idem ipsum Monasterium superius seu patriâ linguâ *Over closter* de futuro nominari solitum undecim verò Monasteria illa, quibus memoratum Capitulum istud Nussienfe constitit, sunt sequentia: I. Præpositura Belheimensis propè Dotæckum. II. Prioratus Zwollensis. III. Prioratus Trajectensis. IV. Prioratus Goesdonkanus. V. Neomagiensis. VI. Bodecensis. VII. Romerswalensis. VIII. Aquensis. IX. Ewicanus. X. Rectoratus Coloniensis. XI. Rectoratus Udenfis, quæ postmodum omnia (ita statuente Martino V. Pontifice antedictò Sacræ Congregationi Windesimensi, id temporis per totam Germaniam celeberrimæ, fuerunt unita, de quo legi poterit Miræus cap. 13. pag. 60. & Joannes Buschius in Chron. Windes. Lib. 1. cap. 14. per totum. Taliter ergò sacra Domus Novesiana Windesimensibus coadunata, quævis antiqua jura & privilegia sua non solum salva retinuit, & integra, sed & in Capitulo provinciali posthac celebrando primum (post Priorem Generalem) locum obtinuit; atque hinc Joannes de Puteo Præpositus iste Nussiensis ultimus, factus est primus ejusdem Monasterii Prior de Congregatione Windesimensi, tandem piissimâ morte viam universæ carnis ingressus anno 1433. atque hæc omnia prolixè fati descripsit, qui coram vidit, & expertus est Anonymus quidam Canonicus Regularis Professione Nussiensis in magno Chronico suo Rerum Belgicarum, quod ætate nostrâ cum aliis quibusdam opusculis anno 1654. Francofurti ad Mænum typis publicis in folio (uti vocant) recusum vulgavit Joannes Pistorius SS. Theologiæ Doctor, ubi fol. 347. ita legitur: Cùm superius dictum sit de reparatione Ordinis Regularium, tempore videlicet Gregorii VII. hujus nominis Papæ, qui cæpit anno MLXXIV. Et multa magna ubique terrarum fundata sunt Monasteria, & maximis divitiis à Principibus & Prælatibus ac divitibus solenniter dotata; rursus idem Ordo Regularium in dissolutionem prolapsus est, cùm Monastica disciplina cum temporalium affluentia diu perdurare non



non queat. Et quamvis ad vitam sæcularem non fuerit devolutus, à primæva tamen Institutione & ejus regulari observatione ubique penè terrarum defecit. Tunc igitur inclyta etiam Regularium Præpositura propè Nussiam Regularis claudicavit à tramite, & tandem non exiguum post tempus à primo miserabiliter omninò deflexit fervore, simulque ex divitiarum apice ad profundum inopiæ lacum decidit, ut universa, quæ magnificè ipsis collata, & omnia undecunque aggregata, divisim vendiderint, ac inutiliter passim dilapidaverint. Et paulò post: Tunc etiam ad Fratrum reprobam vitam quotidiana victualia ex Cellario Dominorum in summo Coloniensi templo sunt subtracta, & hucusque abolita. Irreformationis istius tempore irreformato Fratres etiam utebantur habitu, nam ad carnem lineis utebantur indumentis, deindè brachatis caligis nigri coloris, more sæcularium, curiosè ligabantur. Desuper tunicâ, ad sæcularem modum plicatâ, nigri coloris induebantur, & loco habitûs utebantur lineo scapulari subtili cum Cappis, & Almutiis more Canonicorum Sæcularium formatis, nec non stannatis. Cùm igitur annò Domini MCCCC. divinæ placuisset voluntati Monasterium Canonicorum Regularium extrà muros Civitatis Nussiensis suæ Sanctissimæ Matris semper Virginis Mariæ Coloniensis Diocæsis ad regularem vitam, unde multis annis exciderat, ut dictum est, reducere, personas ad hoc aptas ex pluribus sibi elegit. Nam idem Monasterium usque ad ultimam desolationem tum temporis erat perductum, ut ruinæ tectorum Monasterii & alia ædificia ruinosâ ad oculum demonstrarentur. Igitur tunc temporis erat ibidem Præpositus à Fratribus Monasterii electus Petrus de Domo Teutonica nominatus, de Civitate Nussiensis oriundus, qui vidit visionem in somnis, in hunc modum: visus est antè Altare stare S. Joannis Evangelistæ (quod situm est in sinistra parte Ecclesiæ Monasterii, quæ nunc in Sacristiam ordinata est, in quo collocata erat imago Beatæ & Gloriosæ Virginis Mariæ, sub pedibus suis conculcans antiquum serpentem, quæ imago nunc anno Domini 1498. stat in altari Virginum) ibi igitur Præpositus Petrus visus fuit flectere genua, & eam salutatione Angelica, scilicet Ave Maria, salutare; cùm salutationem eadem imago tanquam ab indigno sibi oblatam respuens, extensâ manu prædictum Præpositum ab Altari cum indignatione removeret. Præpositus videns, se despectum à tanta & tam sibi dilecta Patrona, in quam suam fiduciam post Deum semper ponere consuevit, totus in lacrymas resolutus est, ita, ut lacrymæ illi non imaginariæ, sed reales essent, & verè ambas maxillas ejus humectarent: Tunc per imaginem illam Virgo Beata prædictum Præpositum sic affatur: si vis te emendare, juvabo te: ad hanc vocem Præpositus cum lacrymis respondit: etiam Domina charissima, volo me emendare. Cùmque illa manum suam extendens ad eum diceret, ut id promitteret, prædictus Præpositus misit manum suam in manum imaginis, & ut sibi videbatur, mollitiem aliquam in manu sua sensit, & evigilavit. Cùm autem rediisset ad se, invenit adhuc lacrymas per maxillas defluentes, & vehementer attonitus, quid ista, quæ viderat, significarent, tacita mente secum sæpè revolvebat. Ista ab ipsius Præpositi ore semel & iterum à quodam Fratre inter conferendum fuerunt audita. Et ut nota essent posteris nostri Monasterii, rogatus ab aliquibus Fratribus idem, qui audivit, conscripsit.

Rursus de eadem Reformatione alia visio facta est in partibus (Germaniæ) inferioribus seu Belgii, & æstimo, quod eodem tempore, quo prima: Erat in Almelo Vir venerabilis bonæ vitæ, & famæ laudabilis Everhardus, qui Pastor Ecclesiæ in Almelo fuit, arte Medicus, non solum corporum exteriorum, sed multò magis animarum. Iste venerabilis Pastor scripsit Præposito Monasterii Regularium propè Nussiam, quemadmodum scilicet Beata Virgo Maria in specie cujusdam imaginis, quæ posita fuerat in Ecclesia Monasterii prædicti supra summum altare (nunc autem scilicet anno Dom. 1498. posita est in altari S. Laurentii) sibi apparuerit, præcipiens, ut fugeret, & iret ad Monasterium Regularium juxtà Nussiam propè Rhenum, & juvaret Præpositum ad reformandum prædictum Monasterium in Disciplina Regulari. Cui visioni non incredulus prædictus Pastor misit primo litteras, tenorem visionis continentes, cum quodam Fratre Congregationis suæ, qui postea in eodem Monasterio in habitu Religionis regulariter diu supervixit. Litteras verò cùm Præpositus aperuisset, & tenorem perlegisset, præ nimia lætitia vix se potuit continere. Et statim cogitans de visione, quam ipse prius habuit, cognovit visionem, quæ per litteras sibi denunciata erat, visioni suæ, quam ante paucos dies habuit, esse firmamentum & declarationem. Erat autem tunc Reverendus in Christo D. Fridericus de Zarwerden Archi-Episcopus Coloniensis in Castro suo Zoërs (quæ modò Vreedstroem nuncupatus) & Præpositus audiens, Dominum Coloniensem tam esse vicinum, adiit eum, ut celerrime potuit, litteras de visione prædicta à D. Everhardo sibi missas secum portans, quas cùm Domino Coloniensi præsentasset, & coram eo legi fecisset, Reverendus Dominus ultra



modum gavisus, & Præposito congaudens, dixit ad circumstantes Milites suos: vide te Charissimi, quid iste scribit hic in litteris. Scribit enim B. Virg. Mariam apparuisse sibi, & iussisse, ut iret ad Præpositum Monasterii Regularium propè Nussiam, & juvaret eum in reformando Monasterio. Erit illud præfagium alicujus magni boni in futurum. Ex eo tempore Reverendissimus D. Colonienſis inclinatus fuit Præposito, & piè juvit Reformationem prædictam. Ita ut singulis annis quamdiu vixit, daret Monasterio octo Omas vini, & quidquid causæ apud Archi-Episcopum habuit, invenit eum semper favorabilem & gratiosum. Cùm autem Venerabilis Dominus Everhardus Pastor prædictus ad Monasterium prædictum venisset, cognovit ex visione sibi ostensâ, id ipsum esse Monasterium, quod in visione ostensum erat. Nec enim unquam ampliùs viderat. Intrans igitur Ecclesiam cùm venisset ad summum altare, respiciens, interrogavit, an ibi supra capsam non consueverit stare imago B. V. Mariæ? responsùmque est ei quòd sic. Ille verò, ubi est illa Imago? quam cùm ostenderent ei positam supra Altare S. Servatii, respondit, hæc est illa imago, quæ apparuit mihi, date ei locum supra capsam summi Altaris, ibi vidi eam. Ex illo tempore imago accepit locum, ubi eam Pastor vidit, sed tamen nunc anno 1498. stat in Altari S. Laurentii. Alterâ die post hoc, ut prædictus Ven. Dominus Everhardus ad Dominum Colonienſem venit, & colloquium cum eo habuit, placuit Domino Colonienſi, ut cum consensu Præpositi, qui affuit Domino Everhardo commissionem Monasterii prædicti in litteris ad hoc ordinatis traderet, quas sumens secum ad Patres in Windesem descendit; & cùm non longè post Præpositus cum Clero, qui litteram de Visione Domini Everhardi attulerat, secutus est. Veniens verò ad Monasterium Windesimense consilium cum D. Everhardo à Patribus illis petiit de Reformatione Monasterii Regularium juxtà Nussiam, paratus subjicere illud Capitulo eorum, si accipere vellent. Illi autem in littera Domini Colonienſis D. Everhardo de commissione Monasterii prædicti traditâ invenientes clausulam ( usque ad revocationem nostram ) & audientes Monasterium esse gravatum debitis, scilicet octingentis florenis Rhenensibus, non audebant illud acceptare, quia Capitulum eorum recenter inchoatum erat, & tale onus in se recipere temerarium videbatur: qua de causa petitioni eorum consensum negaverunt. Valedicentes igitur Patribus illis, venerunt Zwollis ad Priorem Regularium, qui tunc Monasterium suum recenter etiam reformaverat; qui prædictos Præpositum & Dominum Everhardum in omni charitate recepit, & auditâ causâ adventus eorum cum Conventu suo cæpit deliberare, an fortè petitioni eorum assentire possit. Sed Fratribus dicentibus nonnulli difficiliores erant: Prior tamen, qui viam reformandi prædictum Monasterium occultè sciebat, ita Fratres reliquos informabat, ut tandem consensum ad ipsum assumendum præberent. Id autem multum oblectabat Patres, qui cùm in adventu istorum Venerabilium Virorum Domini Præpositi scilicet & Domini Everhardi ex quadam infirmitate lecto Prior decumberet, dato consensu eorum petitioni, sanum se & incolumem sentiret. Quare præcepit jungi currum, & Fratres ad hoc ordinatos cum suis sarcinulis & aliquibus victualibus desuper locatis cum curru usque ad Nussiam duci: quò Deo Duce prosperè in Monasterium prædictum circâ Assumptionis Festum Virginis Gloriosæ venerunt: ita ut in vigilia Festi ipsius primas vespertas in eo cantarent: Sic divina Miseratione, precibusque B. Virginis ( non dubium ) intervenientibus, in prædicto Monasterio Reformatio cum Disciplina Regulari incepit, & quotidie de bono in melius crevit. Attamen Fratres in principio missi, magnam paupertatem sustinuerunt, & cùm lectisternia non haberent, saccos paleis & straminibus compleverunt, ut super illis nocturno tempore quiescerent. Quod idem factum est de cibo & potu, qui satis tenuiter & frugaliter eis subministrabatur. Et tunc Fratres Monasterii Nussienſis iterum Religiosum assumpserunt habitum, linea ad carnem mutantibus in lanæa, & ligaturas cum caligis sæcularibus omittentes; pro nigro etiam colore superioris plicatæ tunicæ album colorem sine plicis monasterico more assumpserunt, & pro scapulari lineo utentes subtili. In quo singulariter Regularium extat habitus, quemadmodum Monachalis habitus in cuculla. Et iste habitus Regularium adeò caterorum Religiosorum excellit habitum, ut Dominus Apostolicus cum universis Italiæ, Franciæ, & Angliæ, & aliarum Regionum Pontificibus pro quotidiano habitu utantur subtili, quamvis Alemanniæ Pontifices eo tantùm in Pontificalibus induantur. Regulares tamen Nussienſes Cappas Sæcularium Canonicorum more formatas retinuerunt, donec se Windesimensibus subdiderunt. Et stricta omiserunt Bireta, assumptis pannea, quibus usque in hodiernum utuntur diem. Eodem Reformationis anno post Festum Assumptionis accidit, ut Fratres missi essent ad messem, ut de suis agris colligerent frumenta, in Profesto videlicet Nativitatis B. Virginis Mariæ, uno tantùm tum in Monasterio manente Laico, qui occupatus opere suo, quod præmanibus habebat, audivit sonum magnum in aqua vel rivo Arnaphe, qui Monasterium



um præterfluit, & primò quidem non metuit, æstimans, bestiam aliquam jactare se flumine; sed cum secundo audisset eundem sonum, accedens ad littus, vidit piscem magnum, scilicet Salmonem, quem apprehendens cum brachiis suis & trahens in terram, vidit eum palpitare, sed Laicus lætus in Domino, tantum attendens miraculum, levavit eum in brachia sua, & ad culinam deferebat, & Fratribus de campo venientibus & fatigatis de labore occurrit cum gaudio, dicens: gaudete Fratres in Domino, quia B. Maria misit vobis magnum Salmonem, ut habeatis, undè Deo, & Sibi gratias in hac Solemnitate agatis. Hæc ille loco citato.

## Nomina Regularium Priorum

### De Congregatione Windesimensi Monasterii extrà Nussiam.

I. Ægydius de Bocherold Decretorum Doctor è Canonia Remerswallensi in secundum Priorem Novesianum postulatus, interfuit Concilio Basileensi; tum diem suum obiit anno 1434.

II. Nicolaus de Ruremunda in Decretis Licentiatus. obiit anno 1457.

III. Joannes Mangelmann. obiit anno 1467. Durante regimine Venerabilis in Christo Paris istius, ac Religiosissimi Prioris Joannis, pientissimum hoc Monasterium Nussienſe damnosam adè ac formidabilem coactum fuit sustinere direptionem, quando nimirum potentissimus id temporis Princeps Carolus Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantia &c. Dux, cum innumero quasi militari exercitu post plures Provincias fortissimè debellatas, agrum etiam Colonienſem anno 1474. hostiliter invasit, ipsamque Urbem Nussienſem obsedit, de quo Anonymus in magno Chronico Belgico fol. 412. & seq. ita scribit: Agminibus igitur exercituum suorum excellens Princeps stipatus, nec non præliorum machinamentis aptatis, cum in Trajecto super Mosam tanquam evaginata Colonienſi Diœcesi immineret romphea præcipuè tribus ejusdem territorii civitatibus, quæ præcipuè contrariebantur Archi-Episcopo, magnum incussit timorem, ita ut Colonienſis Metropolis duo solennia juxta Civitatem confregit Monasteria cum leproſorio: Nussienſes tamen singularem ob Archi-Episcopi offensam magis habebantur suspecti, & idcirco munimentis perficiendis abundantius operam dabant. Suspicionem tandem timorosa exspectationis Regularibus antè oppidum morantibus Prior ejusdem Ordinis civitatis Ruremundensis ademit, iter festinanter arripiens, versùs Nussiam Principis certissimum Priori & Fratribus intimavit adventum; quod, nisi fecisset, peculiaria Monasterii utensilia cum quibusdam aliis pretiosis dispendiosè in Monasterio remansissent, quamvis civitatis ob instantiam ante permodicum tempus trecenta in ipsam perfecta sint Maldra filiginis, cum quibusdam aliis clenodiis. Post hanc Ruremundensis Prioris Regularis denuntiationem de adventu Principis certificati, Monasterium utensilibus, & aliis, ut supra dictum est, toto evacuavimus conamine, & festinantiâ. Nonnulla ad terram Montensem citrà Rhenum direximus pretiosa. Deinde Prior Monasterii per diversa Religiosorum loca disposuit ordinare Fratres: è quibus Suppriorum cum tribus Fratribus Sacerdotibus, & duobus Conversis ac nonnullis Laicis in Monasterio reliquit. Ad Civitatem Nussienſem sex deputavit Fratres-Sacerdotes cum quatuor Novitiis, & uno Converso, ac quinque Laicis cum quibusdam familiaribus ad Monasterium Regularissarum Berckensis Oppidi duo deputati sunt Fratres Sacerdotes cum uno Converso. Ad Regularissarum Monasterium in Dnislacken in Ducatu Cliviensi duo deputati sunt Fratres Sacerdotes cum uno Diacono. Postremò Prior se transtulit ad terram Montensem ad quoddam Monasterium Sororum Ordinis S. Francisci de tertia Regula cum uno Fratre Sacerdote & uno Diacono, ac uno Converso, & Laico uno. Cæteri Laici hinc inde dispersi sunt. Ista antequam fieret divisio, Fratres lamentabili corde & voce in Choro *Salve Regina* cecinerunt, B. Virgini Monasterium commendantes, deinde in hospitem Camera pariter reſectis, se mutuò Fratres valedicentes, cum ejulatu & fletu quorundam ad loca singulis deputata ab invicem receſſerunt. Sed & Serenissimus Dominus Hartmannus Landgravius cernens civitatem, nos illic deputatos intrare, ex compassione lacrymabatur, ut nobis postea retulit. Omnia etiam victualia Monasterii in vino & bladis, in carnibus & butyro, ac cafeis & animalibus tantam introduximus copiam, ut nobis ad triennium abundanter suffecisset. Sed Procurator tunc pro tempore intraneus existens civitatis, & nimium partialis, magnam victualium partem distribuit pro stipendiariis alendis: ita ut cum cæteris postea manducare necesse habuerimus carnes caballinas. Insuper pondus innumerabile plumbi de tectis Monasterii ad globos Bombardarum tundendos civitati tradidit cum numerosa multitudine asserum ex Monasterio ad Civitatis



vitaris munimenta perficienda devexit. Subinde tumultus exortus est pluribus civibus & stipendiariis Monasterium funditus destruere volentibus. Sed Beatissima Virgo per quosdam de Optimatibus habitaculum defendit suum. Incenderunt tamen Curtim in Hannone in opposito Monasterii circa rivum Erpiæ, & Curtim in Monasterio. Ex quo incendio nonnullæ officinæ incensæ fuerunt, & periissent cum Monasterio, nisi Fratres in Monasterio derelicti, cum aliquibus Fratribus ex civitate, cum adiutorio etiam aliquorum incendium non sine magno labore extinxissent. Et paulò post: Regulares interea, qui in Monasterio civitati proximo remanserunt, magno in timore Principis præstolabantur exercitum, maximè cum Superiorem cum quodam Converso Gallicanum idioma intelligentem præmiserant, qui à Picardis exercitum præcedentibus captivi detenti erant. Sequenti igitur die (Sabbato post Festum S. Jacobi Apostoli) manè ad Principis Imperium castrorum Papiliones ad transpositionem disponebantur, & magno cum suo apparatu versùs civitatem in manu potente ipse Princeps se transtulit Regularium juxtà civitatem intrans Monasterium. Quidam tamen Brabantia Officialis cum cæteris pluribus præcessit exercitum, consulens & avisans pariter & juvans, Fratrum victualia, quæ tamen modica erant, ad Sacristiam tanquam ad tutiorem locum deportari, in qua etiam Princeps ipse Fratres die noctûque permanere præcepit, nisi celebrationis tempore, vel funeris causa exercitui deservirent, proditionem forsan timens, in introitu ergò exercitûs in præfatum Regularium Monasterium ad celebrandum se Fratres disponebant. Missis tandem omni cum quiete auditis, dispersi sunt universi per Monasterii officinas, & Fratrum cellas, nec non per reliqua abdita & publica loca, tollentes inde januas & fenestras Refectorii, Stuphæ ac Camera, hospitem mensas cum lectisterniis Fratrum & hospitem, & quidquid asseris reperire poterant in temporis momento abstulerunt, ac extrà Monasterium ad campum deportaverunt, fossoribusque contrà civitatis jacula munimenta ex ipsis aptaverunt. Hæc loco citato.

IV. Georgius de Creveldiâ primùm Prior Novesianus, indè Basileensis in Helvetia factus anno 1489. priùs sub annum 1484. commissionem accepit autoritate supremâ datam & collatam, visitandi omnes Congregationes Monialium tertiæ Regulæ S. Francisci per totam Archi-Diocesim Colloniensem diffusas, atque omnes alias sine Regula viventes, certo cuidam Ordini ac Regulæ subdendi.

V. Joannes de Warhausen. obiit anno 1494.

VI. Arnoldus natione Westphalus, patriâ Monasteriensis. obiit anno 1495.

VII. Radbodus de Kempis. obiit anno 1503.

VIII. Joannes natione Westphalus, patriâ Monasteriensis. obiit anno 1503.

IX. Joannes de Indagine. obiit anno 1503.

X. Joannes de Nussia. obiit anno 1505.

XI. Gerardus Reipgen. obiit anno 1524.

XII. Wilhelmus Hopp de Embrica. obiit anno 1534.

XIII. Joannes de Effendia. obiit anno 1547.

XIV. Stephanus de Kempis, suadente corporis infirmitate liberè resignatus anno 1563. obiit anno 1580.

XV. Goswinus Hulter. obiit anno 1575.

XVI. Quirinus Telanus, quo præsidente, dum anno 1583. Gebhardo Truchsessio Archi-Episcopo & Electore Colonienfi à Religione Orthodoxa Sacrilegè deficiente, gravissimum bellum per universam ditionem Coloniensem esset subortum, atque hujus occasione Novesianum Monasterium funditus destructum fuit, & solo coæquantum, ipse memoratus Prior Quirinus cum quæsisvis (qui in id apertè consenserunt) Claustralibus Canonicis terris defunctus diem suum obiit anno Christi 1575. Ejus à morte reliqui, qui supervixerunt Regulares Canonici Nussienses Coloniam Agrippinam ad Monasterium SS. Corporis Christi (ubi pro tunc exulavit Prior Windesimensis ab hæreticis Religiosâ mansione suâ dejectus) digressi in novum destructi sub-Urbani Monasterii sui Novesiani Priorem unanimiter sibi delegerunt R. D. Wernerum Tilianum, pro tempore ejusdem dejecti Monasterii Nussiensis Proturatorem pro tunc Canonice Marbacensis in Alsatia Priorem, atque isthic sub specie Unionis cujusdam constituerunt, quousque malignâ Truchsessiorum factione omninò suppressâ per Ernestum, è Ducibus Bavariæ Archi-Episcopum, & Electorem Coloniensem, ipsis potestatis facta est, intrà urbem ipsam Nussiensem aliud novum inædificandi Monasterium. Cùm autem sub idem tempus RR. Patres Societatis Coloniam devenissent, cuperentque



que pro Collegio seu Seminario recens inædificando dari sibi bona illa, ad exultum Monasterium istud adspectantia, graves admodum controversiæ fuerunt suscitatae, quibus tamen denuò sopitis, nova Domus simul & Ecclesia intrâ ipsam Civitatem Novesianam à supradictis Fratribus exultantibus fuit apparatus, & sub annum 1605. plenissimè perfecta, qui iidem interim edocti, suum Windesimensè Monasterium à Confœderatis Belgii Statibus jam omninò fuisse potenter occupatum, unaque simul exultantem Priorem Windesimensè supradictum incipere mori, in Synodo Leodiensi nuper anno 1605. die 9. Julii coacta.

### Nomina Priorum intrâ Nussiam.

I. Wernerus Tilianus antè memoratus, novi Monasterii Novesiani in ipsa Civitate recens (ut dixi) ædificati, in primum Priorem intrâ ipsam sæpè fatam Civitatem fuit denunciatus, qui subindè toto reliquo vitæ suæ tempore multis & magnis laboribus fatigatus, demùm pientissimè in Domino requievit anno 1615. jam prius Venerabilis Congregationis Officio Visitator, in ipso actu Visitationis Monasterii Bodecensis in Westphalia idem sub simplici hac Epigraphe congruo honore tumulatus: *Visitantem me visitavit Dominus.*

II. Joannes Nauta secundus intrâ Civitatem Nussiensè Prior, dum suis omnimodè sollicitus præest, incredibiles ab Adversariis (quos nominare possem, si vellem) Canonici hujus bonis temporalibus suprâ nimis, quàm credi potest, constanter insidiantibus, plusquàm terribiliter exagitatus; imò & cum suis pro justitia & veritate triste exilium toto septennio perpeffus; cum tandem bona causa triumphet, Autoritate Apostolica in plenam bonorum æquè mobilium ac immobilium restitutus, reliquum vitæ in multa patientia & virtute protracta, tandem miseriarum & laborum satur devixit anno 1644.

III. Adolphus Kufen ex Priore Marbacensî in Alsatia ad regimen Canonici hujus Novesiani postulatus, ac paulò post videlicet anno 1649. in Capitulo Generali in Commissarium Ordinis, & Windesimensis Congregationis per superiorem Germaniam constitutus, ac tandem etiam in Synodo Leodiensi Prior Generalis anno 1652. delectus, dignitatis & officii hujus curis & laboribus immerfus vitam liquit temporalem anno 1654.

IV. Gabriel Brewer quadrienniò solùm præfuit, & urgentibus fatis ad plures digressus terris disparuit anno 1658.

V. Christianus Hafert proximum Prædecessorem suum in Regimine Canonici hujus Novesiani secutus, dum jam prius etiam Priorem Sultanum, propè Hildesiam, plusquàm laudabiliter egit, uno Anno & Mensibus aliquot ad clavum sedit, & urgente corporis infirmitate lubens Regimini cessit, exinde huic Sæculo defunctus anno 1672.

VI. Stephanus Nœtlich jam ordine sextus intrâ Nussiam constitutus, diem suum obiit anno 1673.

VII. Joannes Zilles, Patriâ, ac Religiosa Professione Novesianus, anno 1673. pridie Calendas Julii Canonicâ Electione Prælaturæ Nussiensis fasces adeptus, ac post etiam in Capitulo Generali Leodii sub annum 1677. celebrato, sui Ordinis & Congregationis Windesimensis Commissarius declaratus.

### NOVESIANUM

Aliud, hoc tamen extrâ sæpè fatam Civitatem conspicuum unius ejusdemque cum priore Sexûs & Instituti Regulare Claustrum, hoc tamen alterum, dum cum adspectante propriâ Ecclesiâ Divo Nicolao Episcopo Myrensi Confessori dicatum sub Regulari Visitatione Ordinarii salvum & integrum consistit, de tempore tamen & Authore primæ foundationis haud amplius Posteris innotescit.

### NOVESIANUM,

Adhuc aliud tale quoddam de eodem Ordine & Congregatione Windesimensi isthuc loci seu in eadem Civitate Novesianâ vel olim constitit Monasterium, istud tamen fœmininum, quod quidem refertur inter ea, de dicta Congregatione Sacrarum Virginum Cœnobia, quæ per Venerabilem Patrem Joannem de Puteo Priorem Novesiani



num supradictum & proximum Successorem illius post annum 1407. fuerunt vel de novo fundata, vel ad strictiorem observantiam reducta, & quævis istarum Regulari Visitationi Prioris Novefiani pro tempore existentis perpetuis futuris temporibus subdita, cujus tamen Religiosi Parthenonis existentia posterâ ætate quocunque demùm fato penitus exolevit.



## Littera O.

### OBERENDORFFIUM,

Longè celeberrimum quondam apud Carantanos intrâ fines Diœcesis Lavantinae Religiosum Professionis Canonico-Augustinianæ Monasterium, famoso illi suæ Provinciæ oppido Volchelmarchtensi vicinum hodiedum emicat, priore tamen statu suo penitus immutatum. Hoc autem ad annum Christi 1164. Udalricus Archi-Dux Carinthiæ, vel (ut aliorum est opinio) Achatius Comes Bogensis & Cunigunda piissimi conjuges caducis bonis divitias æternas mercaturi præpingui dote condiderunt, primitus Religiosis novæ S. Norberti familiæ Præmonstratensis Alumnis loco impositis, quos tamen postmodum (quocunque demùm fatô) aliò transportatos secuti sunt Regulares Canonici Augustiniani, qui magnâ sui nominis laude Oberendorffense Cœnobium istud constanter incoluerunt, usque ad annum Christi 1598. à quo tempore R. R. Patres Societatis Jesu Regularem Præposituram hanc Oberendorffensem adepti, proventibus sat opimis indè præstandis enutriunt Comprovinciale Collegium suum Clagenfurtense. Leonardus Undecimus numerò Præpositus Reicherspergensis Diœceseos Pataviensis in Norico à Wigul. Hundio in Metropoli Salisburg. Tom. 3. fol. 246. *Vir pacificus* appellatus suum hoc Oberendorffense Cœnobium (resignatis prius prioris Reicherspergensis Præposituræ fascibus) anno circiter 1201. suscepit restaurandum, idem postmodum Oberendorffensi huic Dignitati fataliter immortalis anno 1206.

### OELSNENSE

Collegium seu Præpositura Canoniorum unâ cum Hospitali Oelsne (quæ est Ubrs inferioris Silesiæ descripta à Zeillero in Itinerario Germaniæ cap. 24. num. 17. fol. m. 524.) quondam satis incluta. Henricus I. cognomento *Auceps* Romanorum Rex, qui locum istum anno Christi 926. ex rurali oppido in muratam civitatem constituit, primus etiam (uti certa conjectura simul & constans traditio est) novam hanc Præposituram extare voluit, eamque cum adjuncto Hospitali S. Georgio Megalo. Martyri dedicari fecit. Vertentibus annis Albertus & Carolus Silesiæ Duces Munsterbergenses & Oelsnenses (quorum stemma Genealogicum describit idem Zeillerus loc. cit. cap. 23. num. 18. fol. 520.) hoc ipsum Canoniorum Oelsnense Domicilium cum quævis attinentibus bonis ac possessionibus pleno, ut ajunt, jure possidendum tradiderunt Venerabili ac Amplissimo in Christo Patri Thomæ Abbati (qui circa annum 1520. inclaruit) simul & Capitulo Canoniorum Regularium Ordinis S. Augustini Congregationis Lateranensis ad B. Virginem Uratislaviæ in Arena degentium, quorum studio protinens paris Instituti Regularis colonia eò fuit dimissa, quæ sat magno animarum fructu palàm edito ad salutem multorum in Israël continuo ibi constitit, quousque tandem peregrina Religione in terras istas violenter inductâ, simul & Religiosis Canonice per summam injuriam loco cedere compulsis, Regularis hæc Præpositura Oelsnensis à fundi Domino A catholicico in usus profanos abrepta merissime defecit.

### OENINGENSE,

Antiquissimum Canoniorum Regularium Ord. S. Augustini Collegium, seu Præpositura in vastissima Diœcesi Constantiensi propè Steinium, quod est Hegoviæ oppidum in superiori Suevia finibus Helvetiorum contermina, amœnissimo loco in editione valle & fertilissimo terrarum tractu supra Rhenum, seu Regii fluminis hujus ripam situata. Hanc in honorem Principum Apostolorum SS. Petri & Pauli, item S. Hippolyti Martyris Romani, tempore S. Conradi Episcopi Constantiensis ad annum